

Sic eadem Oceano certos posuit limites, ut jam huic jam illi mari terræ quædam pars interjaceat, ac distincta sibi que opportuna invicem, non confusa sint.

§. 6. Talis mediatio & ipsis partibus esto gratissima licet alioquin nulla in re animi eorum consentiant; eoque fieri solet, ut jam expetant mediationem *palam*, nullo sui dedecore, aut infirmitatis confessione, ut Romani optabant incommodis Macedonici belli liberari; jam *occultius* excitent *Tertium*, ut intervenire & componere controversias amet. De quo *cap. ult.* agendum est.

§. 7. Evoluta quæstione, *an sit*, contemplandum est, Quisnam sit, sive esse debeat, ille *Pacis Portitor*? In quo per omnes ferè naturæ humanæ & status politici conditiones ire fas ac utile est, inde quantum accedat instituto. Talis *Sexus* est. Sanè vulgò constat, *viros* & pacis & belli artibus foemina esse præstantiores, tum ob animi vim ac meliorem agendi modum, tum ob corporis vires; eoque mulieres arceri in republica ab omni negotio solent. Verùm id in dubium vocare possint exempla vetera & recentiora, quibus foeminarum virtus eventu curæ istius inclaruit. Nota est pax, mediante Catharinâ Medicâ à Reginâ, inter Regem Gallia & Hugonotis sæpè conciliata. Similem in modum Elisabetha Regina Angliæ erat *mediatrix* inter Batavos & Hispanos, Turcas & Polonos. Sic seculo præcedente in causâ Livonicâ inter Svedos Polonosque Anna reginæ Catharinæ soror conditiones proposuisse, literas Stocholmiam misisse dicitur in gratiam Regis Stephani apud *Tnuan. lib. 76.* Notatu quoque dignum videtur, quòd Veturia & Volumnia irritis omnium ordinum precibus, à Coriolano patriæ pacē intercessione suâ recuperarunt. *Plutarch in vit. Coriol. n. 63. Schupp. Orat. Veturiæ nomine habitâ.* Et hodiernum idem in extremâ Asiâ usû obtinere testis est *Pinto in Itinerario*, qui se præsentem ad Regem Viduam sexagenariam nomine *Nhay Pombaya* à proximis Insulis ob res belli-